



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quæ species ad altare non ad sacrificium sed ad benedictionem
simplicem offerantur. vi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De passione domini in consecratione corporis mi-
scenda. Cap. V.

IN sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Mis- *Ex decr.*
 sarum solennia domino offeruntur, passio domini mis- *Alexan.*
 da est, ut eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio ce- *pap. c. 5.*
 lebretur, ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis
 tantum & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur.
 Nō debet enim, ut à patribus accepimus, & ipsa ratio docet,
 in calice domini aut vinū solum, aut aqua sola offerri, sed v-
 trumq; permixtū, quiavtrumq; ex latere eius in sua passione
 profluxisse legitur. Ipsa vero Veritas nos instruxit, calicē &
 panē in sacramento offerre, quādo ait: Accepit Iesus panem
 & benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite &
 manducate, hoc est corpus meū quod pro vobis tradetur. Si-
 militer, postquā cœnauit, accepit calicem, deditque discipu-
 lis suis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic est
 calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissio-
 nem peccatorum. Crimina enim atque peccata oblatis his
 domino sacrificiis delentur. Idcirco & passio eius in his
 commemoranda est, qua redempti sumus, & saepius recitan-
 da, atque hæc domino offerenda. Talibus hostiis delectabi-
 tur & placabitur dominus, & peccata dimittet ingētia. Ni-
 bil enim in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & san-
 guis Christi, nec vīla oblatio haec potior est, sed hæc omnes
 præcellit: quæ pura conscientia domino offerenda est, &
 pura mente consummanda, atque ab omnibus veneranda.
 Et sicut potior est cæteris: ita potius excolī, & venerari
 debet.

*Quæ species ad altare non ad sacrificandum, sed ad
 benedictionem simplicē offerantur. Cap. VI.*

Offerri nō liceat aliquid ad altare præter nouas spicas, *Ex cano.*
 & vuas, & oleum ad luminaria, & fabas, & thymiamam *apostola.*
 ad incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio. *cap. 4.*

De eadem re. Cap. VII.

HAEC species quas non licet offerre super altare *Ex decr.*
 iuxta constitutionem apostolorum eorumque succes- *Melchia.*
 torum, ad dominum sacerdotum deferantur, & à sacerdotibus *pap. ca. 1.*
 benedicantur, & simplici benedictione benedicta demum
 à populis sumantur. Fabæ tantum & vuæ, nouæ spicæ, &